

rum permansione salus Regni consistit) eo redactum esse; ut nisi opportune illis succuratur, juvandique salutaria adhibeantur remedia; mox penitus ruinata, militibusque destituta, ultimum minentur Regno excidium.

§. 1. Eapropter Status et Ordines, pro eorundem Confiniorum subsidio, ita statuendum esse censuerunt; ut Generales Capitanei Confiniorum, diligenter et quo celerius defectum veteranorum Militum, tam Equitum, quam vero Ungarorum peditum, supplere et ad numerum Anni 1609. in Regestis comprehensum, absque defectu reducere debeant et teneantur.

De medietate ordinariae Tricesimae per suam Majestatem usque ad futura Comitia, pro exolutione Militum Confiniariorum clementer oblata.

Articulus 29.

Quia vero Sacra Caesarea Regiaque Majestas, pro pio paternoque affectu suo erga permansionem et conservationem istius Regni Ungariae et Partium eidem annexarum, ordinariae quoque Tricesimae integram mediam partem, usque ad futura Comitia, pro exolutione militum Confiniariorum clementer obtulit; ingentes, humillimasque habent gratias suae Sacratissimae Majestati Status et Ordines.

§. 1. Quam quidem ordinariae Tricesimae mediam partem, universi Tricesimatores, ad manus Generalis Administratoris, singulis Angariis, immediate administrare; ac Regestorum quoque suorum Angarialium paria eidem Generali Administratori fideliter assignare sint adstricti. *)

Contributio pro Conservazione Coronae ex parte Regni Croatiae et Slavoniae; integra medietas Ordinariae Tricesimae in exolutionem Militis Banalis; prout etiam reliquae contributiones in conservationem peditum Colapianorum convertendae.

Articulus 34.

Regnum Croatiae et Slavoniae siquidem gravi admodum peditum Colapianorum, ad rationem illius Regni jam dudum conductorum intertentione oneratum esset; Ad conservationem proinde Sacrae Regni Coronae, pro singulis futuris Trienniis, singulos duntaxat quingentos florenos, juxta cursum monetae hic observatum, manibus Generalis Regni Administratoris in futurum contribuet, tamdiu et eoque; donec Status quoque Ungariae, in conservationem ejusdem, modo praemisso contribuerint. **)

§. 1. Ordinariae vero suae Majestatis Tricesimae directa Medietas, exinde proveniens; in exolutionem Militis Banalis convertatur.

§. 2. Reliqua sua subsidia et contributiones universas; juxta Art. 9. An. 1596. et Art. 14. An. 1608. post Coronationem et auctionem Tricesimarum,

*) Allegatur; An. 1681. a. 44.

**) Confirmatur; An. 1649. a. 96. An. 1655. a. 15. Au. 1662. a. 50. An. 1681. a. 36.